

G. 32. num. 4. C. S.

19

DISCURSUS ACADEMICO-FORENSIS,

De

MERO & MIXTO
IMPERIO,

1665, 6.

Quem

PRAESIDE SOLO DEO,

Scitū ac Permissū

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JCTO-
RUM ORDINIS IN ILLUSTRIS AR-
GENTINENSIVM UNIVER-
SITATE,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores ritè con-
sequendi,

SOLENNI

*Et placide eruditorum disquisitioni
subjicit*



JOHANNES HOLTHUSIUS,
Auricâ Frisius Orientalis.

Die 2. Octob. A. O. R. M. DC. LXV.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS WELPERI.

S. S.

10




DISCURSUS ACADEMICUS

MILITIA IMPERII

MAGNIFICENTIA

JOHANNES



I. N. D. N. J. C.

Jurisdictionem in genere sumptam plerique Interpretum nostrorum tam latè patere autumant, ut ambitu suo complectatur Imperium Merum, Mixtum, & Jurisdictionem simplicem. Pars jurisdictionem simplicem non agnoscens separatam & distinctam à mixto imperio, duas tantùm jurisdictionis (ut vocant) omnimodæ species ponunt, imperium merum & mixtum. Alii jurisdictionem ab Imperio adeò diversum quid esse statuentes, ut nulla hujus species sub illâ comprehendatur, hos tres terminos, imperium scil. merum, mixtū, & jurisdictionem simplicem, tanquam species sibi oppositas à se invicem separant. Ex his sententiis prima & secunda absurdæ mihi videntur : quoniam mixtum imperium non consistit in cognoscendo, sed in coercendo & exequendo *l. ult. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand. est jurisd.* quod à cognitione est omninò separatum : ac proinde non potest esse species jurisdictionis. Et pessimè secundæ sententiæ auctores confundunt mixtum imperium & jurisdictionem, duoque ista faciunt unum, quæ tamen ut vocabulis, ita & re ipsâ diversa esse, infra demonstratum ibimus. In tertiâ quoque sententiâ occurrit, quod reprehendas, non

A 2

tam,

10

tam, quod & in criminalibus jus dicitur, l. 2. §. 23. ff. de Orig. jur. quàm I. propter l. 1. pr. ff. de offic. ej. cui mand. ubi merum imperium excipitur à regulâ de jurisdictione loquente. Frustra! si hoc imperium, tanquam species opposita, à jurisdictione esset leparatum. II. propter l. 7. §. fin. ff. de offic. procons. l. 31. ff. ad L. Corn. de fals. Rubr. D. & C. de jurisd. quæ juris loca manifestè indicant, non tantùm ex vi verbi, (ut nonnulli existimant) sed & ex usu Romani Juris appellatione jurisdictionis imperium quod merum vocamus, comprehendit. Sanè id facilè quis largiatur, acceptionem istam ab usu juris aliquantò esse alieniorem; verùm inde non rectè efficitur, eam omninò esse exterminandam. Id enim vetant jura supra adducta. Ego itaque circumspectis rationibus omnibus, quæ ad rem hanc solidiùs definiendam facere videntur, sic sentio: Jurisdictionem vel esse Jurisdictionem in specie sic dictam & Simplicem, quæ jure Magistratus competit, quæque jurisdictionis commune nomen quasi suum sibi que proprium fecit, vel Merum Imperium, quod speciali legis & principis beneficio conceditur, neque officio Magistratus est annexum.

Hoc Imperium (ut ad speciem descendamus) dicitur merum, quia purum, simplex, & per se solum est, nec cum jurisdictione civili, quæ specialiter nomen jurisdictionis sibi vindicavit, commixtum. quomodo merum jus gentium, quod non est mixtum cum præceptis civilibus, l. 31. pr. ff. de pos. merum judicis officium, i. e. solum, §. 1. Inst. de divis. stipulat. & similia dicuntur; oppositivè scilicet ad ea, quæ non sunt pura & sola, sed alteri rei permixta. Atque sic merum imperium dicitur respectu mixti, quod scil. conjunctum est

§.
est cum jurisdictione simplici, eique cohæret & inest,
d. l. 1. §. fin. l. ult. §. 1. ff. d. t. de offic. ej. cui mand. l. 3. ff. de jurisd.

De definitione meri imperii, traditâ ab Vlpiano lib. 2. de officio quæstoris, quod sit *habere gladij potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines l. imperium 3. ff. de jurisd.* non est concors & consentiens Doctorum opinio. Alii perfectam esse definitionem censent, eaque commodiorem tradi non posse. Alii contrâ eam minus accuratam esse contendunt. Planè exactam definitionem dicere nolim: quin à potiore potius sui parte, quæ consistit in jure gladii, (non materialiter hîc accipiendi de gladio fabrili, *arg. §. 6. Inst. de public. judic.* sed allegoricè de quolibet alio animadvertendi modo, quo vita adimitur) eam sumptam existimem. Cur autem per gladium potiùs, quam aliud telum pœnam mortis significaverit Jctus, ratio hæc esse videtur, quod tum temporis solo ferè gladio caput & vita naturalis adimebatur. *l. 8. §. 1. ff. de pœn.* Sane perfectiùs imperium hoc ita definias, quod sit criminum cognoscendorum, judicandorumque, & in ea animadvertendi potestas. *l. 3. ff. de jurisd. l. solent 6. ff. de offic. procons.*

His definitionis verbis: *criminum cognoscendorum, judicandorumque.* significatur, merum imperium in cognitione & judicatione æquè ac in animadversione consistere; tametsi ex hâc solâ definiatur in *d. l. 3. de jurisd.* qua ex parte etiam possit videri imperfectior ista definitio; quæ tamen non excludit cognitionem causarum criminalium. *d. l. 2. §. 23. ff. de O. I. d. l. solent. 6.* Unde apparet, quantopere hallucinati sint Gillorus,

Charondas & alii, qui merum imperium solâ animad-
versione censent, abscissâ cognitione.

Inquis, in causis civilibus cognitio, quæ ad ju-
risdictionem, quin & nudam notionem pertinet,
sejuncta est ab executione, quæ mixta est imperii.
E. in criminalibus eadem erit ratio separandæ co-
gnitionis ab executione, quæ sola mero imperio
vindictetur. Verùm aliter in Civilibus, aliter in Cri-
minalibus jus exequendi venit: Hic principaliter, quia
tota criminalium causarum tractatio non absolvitur
solâ cognitione & sententiâ, sed insuper executione
opus est, sine quâ crimina coerceri non possunt: unde
& sententiæ ferendæ & exequendi jus nomine meri
imperii appellatum fuit. Ibi accessoriè, quia causæ
civiles solâ sententiæ dictione possunt terminari: nec
semper coercitione est opus: non in jurisdictione vo-
luntaria, quæ redditur in volentes, non etiam in con-
tentiosâ, si sententiæ jus dicentis ultrò satisfiat; sed
tum demum, quando ut non raro contingit, rei judi-
cati sunt moratores, refractarii, nec sponte sua senten-
tiæ obediunt.

Dico, *animadvertendi potestas*, omisâ voce gla-
dii, ut quamlibet graviolem criminum coercitionem
comprehendam. Animadversio enim quæ fit gladio,
non absolvit merum imperium: Hoc enim etiam in
aliis consistit, veluti, in damnatione in metallum, de-
portatione, relegatione, fustigatione &c. Unde etiam
plures meri imperii gradus utpote in magnâ delictor-
um & pœnarum varietate, constituuntur. Non in-
commodè tamen nec ineleganter ad tres referuntur
gradus generales: &

Primo collocantur pœnæ, quæ vitam naturalem
adimunt

adimunt damnatis. Secundo, quæ salvâ vitâ, Civitatem auferunt, veluti, deportatio. Tertio gradu locantur poenæ, quæ vitâ, libertate, & civitate salvis, corporis coercitionem, aut infamiam continent, ut, relegatio, fustigatio, vincula, verberatio. *l. capitalium 28. ff. de poen. l. 6. §. ult. l. 7. l. 8. ff. eod.* Rejēctis somniis Bartoli, qui gradus meri imperii sex commentus, ad primum refert potestatem ferendæ legis, quæ ad Regalia pertinet, minimè ad merum imperium: Hoc enim in animadversione ponitur: Princeps autem condendo legem minimè dici potest animadvertere in facinorosos. Ad quintum, modicam coercitionem, quæ mixti est imperii. Ad sextum, multæ dictionem, quæ est species modicæ coercitionis, mixtoque imperio vindicatur. *l. ult. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand. l. aliud fraus 131. §. 1. ff. de V. S. l. 2. §. 1. ff. si quis in jus voc. non ier.* Equidem etiam multæ dictio, sicut & pignoris capio, & corporis retentio sive prehensio, (quæ tria maximèque illustria sunt mixti imperii genera, quasi in fasciculum collecta in *l. sacrilegi §. ult. ff. ad L. jul. peen.*) aliaque nonnulla remedia prætoria, ut vocantur apud Ulpianum in *l. 1. §. quid ergo ff. de ventr. inspici.* in criminum animadversione locum habent, meroque imperio attribuuntur; sed alius atque alius finis, modusque est diversus in utroque imperio. Vid. Scip. Gentil. 1. *de jurisd. 6. & 3. de jurisd. 10.*

De membri abscissione dubitatur, ad quem meri imperii gradum referenda. Idem Bartolus illam refert ad eum gradum, quò ultimum supplicium irrogatur. Scipio Gentilis, quo proximas morti poenas cum ipso collocavimus. Uterque parum considerate! Quis enim non videt, membro amputato, neque vitam

tam perire, neque civitatem? Et Justinianus in *Nov. 134. c. 13.* mortem amputationi membri disertè opponit. Rectiùs ergò alii ad ultimum gradum amputationem illam referunt. *arg. d. l. 6. §. ult. ff. de pæn. l. 2. ff. de publ. judic.*

De pœna perpetui carceris etiam dubitatur, & ea quidem dubitatio duplex deprehenditur: prior, an pœna illa ad merum imperium pertineat, & si pertineat, ad quem ejus gradum? Sanè Jure Civili Romanorum omnis hæc quæstio ferè otiosa est & iners; quandoquidem carceres perpetuos adèò leges improbant, ut vix in servis ea pœna procedat. *l. 35. ff. de pæn. l. 6. C. eod.* Jure verò Canonico *c. quamvis 3. de pæn. in 6.* & hodierno perpetui carceris pœna est recepta. His ergò juribus pœnam illam ad merum imperium, ejusque gradum secundum pertinere dixerim. Etenim vix est, ut non pro mortuo habendus sit, qui vivus auræ communis haustu & lucis adspectu privatus perpetuo squalore & tenebris carceris cotidie enecatur. Et cum *l. 23. C. de pæn.* carcerem temporarium comparet relegationi, consequens est, ut perpetuus deportationi æquetur.

Pœnæ perpetui carceris jungo triremes perpetuas: item exilium, quod bannum hodiè vocamus; modò sit perpetuum, & cum comminatione pœnæ capitis, in eum casum, quo spreto banno in provinciam vel civitatem reversurus fuerit bannitus, conjunctum: Hoc enim deportationi potiùs, quam relegationi simile, *arg. l. 28. §. in exulibus 13. ff. de pæn.*

Sunt qui ejusdem generis & gradus faciunt Bannum Imperiale, *des Reichs Acht.* quibus assentiri vetat formula sententiæ, tradita à magno doctrinæ forensis

rensis

rensis antistite, Andrea Gailio 2. *de pac. publ. c. 6.* Wir setzen ihn auß dem Frieden in Unfrieden / vnd erlauben sein Leib vnd Gut dem Kläger vnd jedermänniglich / quæ disertè arguit, ad primum potius gradum hanc proscriptionem referendam.

Exercetur merum imperium in facinorosos superfites, non etiam extinctos. Mors enim ultima rerum linea omnia solvit, crimen extinguit. *l. 3. l. 6. ff. de publ. judic. l. ult. C. si reus vel accusat mort. fuer.* Quod si tamen non fato suo functus sit reus, sed metu criminis ipse sibi mortem consciverit, non omninò extinguitur crimen: nam & bona ejus publicantur, si vel non à proximis defendatur, vel cum defenderetur, probatum fuerit crimen, *l. 3. pr. §. 1. §. 3. & §. ult. ff. de bon. eor. qui ant. sent. mort. sibi consciv.* & juxta novissimam Justiniani constitutionem in *Novell. 134. cap. ult.* deficient descendentes & ascendentes ad tertium usque gradum. Et moribus hodiernis criminalis jurisdictio adversus autophonos sic insurgit, ut post mortem damnatos non feretro & humeris civium efferri, sed unco ad locum supplicii trahi, ignominiaque affici videas. Nec temerè isto poenæ genere autophonia coerceri videtur: cum hæc quoque ratio, utpote exemplo utilis, à maleficio absterre possit. Cæterum etsi fato concesserit reus, tamen si perduellionis crimen vertatur, ejus poena etiam post mortem rei inchoari potest, damnatâ ejus memoria publicatisque bonis. *l. quisquis 5. C. ad L. jul. majestat. l. 20. ff. de accusat.*

Ad bruta quoque animalia exercitio hujus imperii extenditur. Nomothesiâ Mosaicâ lapidibus obrui jubetur bos cornupeta, si hominem occiderit, *Exod. XXI. v. 28.* Suspendi pecus, quæ monstrôsâ Venere

B

cum

cum homine commixta fuerit, *Levit. XX. v. 15. 16.* Cui respondet iudicium illorum, quos Guido Pap. *quest. 283.* refert porcum ad laqueum damnasse, quod puerum devorasset. Draco etiam, Atheniensium legislator antiquissimus, in res inanimas quasi animadverti voluit, ut, ligna, lapides, ferrum, aliaque, si delapsa hominem oppressissent, eaque damnata exterminari. Non tamen propter reatum bruta & res inanimas damnantur, Aristot. 7. *Ethic 1. bruti animalis neque vitium ullum, neque virtus est.* Senec. 2. *de ira 26. Ut his irasci dementis est, quæ anima carent, sic & mutis animalibus: quia nulla est injuria, nisi à consilio profecta. Nocere nobis possunt, ut ferrum, aut lapis: injuriam quidem facere non possunt.* Sed ob exemplum, ut intelligant homines, quantoperè à cædibus abstinendum. Quæ ratio verior est illâ Augustini, quæ habetur in *c. mulier 15. q. 1.* quod tali flagitio contaminata bruta turpissimi facti memoriam refricent mortalibus.

Quæritur, an etiam accusatore non existente, merum imperium exerceri possit? Non posse, multi contendunt, ducti *l. 6. §. 2. ff. de mun. & honor.* Sed iudicio summopere labuntur. Non enim prohibet Ulpianus *d. l. 6.* quò minus citra accusationem criminofus puniatur, sed antequam reus sit delatus, interim ab honoribus eum arceri vetat. *l. un. C. de reis postul.* Absurdum quin etiam & Reipublicæ noxium esset, nemine fortassis accusare volente, scelere impiatum poenæ subducere velle. Unde si accusator non sit, officium accusat. *l. 3. l. congruit 13. ff. de offic. præf. l. 1. C. de custod. reor.* Et hanc sententiam consuetudo, quæ optima legum interpret dicitur *l. 37. ff. de legib. confirmat.* Duaren. 1. *Disp. anniv. c. 38.*

Trans-

II.

Transactio quoque impedimento non est, quò minus hoc imperium exerceatur. Nam cum transactione crimen non extinguatur, *l. 2. C. de abol. repeti reus à magistratu, vel ab accusatore quovis alio potest, ne delicta maneant impunita. l. ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

Neque loco criminis commissi adstringitur hoc imperium, sed ubi ubi reus fuerit inventus, exerceri potest, etiam extra locum delicti *l. 1. C. ubi de crimin. ag. oport. d. l. 3. d. l. congruit 13. ff. de offic. pres.* Id quod publica utilitas & vigor disciplinæ publicæ extorsit. Alibi tamen deprehensus reus ad requisitionem & instantiam magistratus loci delicti, cum prosecutione idoneâ isthuc remitti solet judicandus, condemnandus & puniendus, *l. 7. §. ult. ff. de accusat. l. solent. 7. ff. de custod. & exhib. reor. ex ratione l. 28. §. pen. ff. de pæn.* Quæ remissio cum olim esset voluntatis, constitutione Justiniani ad juris necessitatem traducta est *Nov. 134. c. 5.* & hodiè necessariò fit, ubicunque supremus princeps omnibus magistratibus hanc legem dicit. Cæterum Generali consuetudine Germaniæ, & aliarum politiarum, si qua fit remissio, non fit juris necessitate, sed urbanitatis & comitatis causâ, & quia multiplex est confusio jurisdictionum, ferè nunquam ita, nisi sub literis Reverfalibus, quas vocant, nullum inde præjudicium jurisdictioni remittentis generatum iri. *Gail. 1. de P. P. cap. 16. num. 30. 31. Rittersh. part. 9. expos. Novell. c. 10. num. 57.*

Competit merum imperium ei, qui summam in Republica potestatem habet. Et (ut ab origine rem arcessamus) initio urbis Romæ, cum omnia manu Regiâ gubernarentur, *l. 2. §. 1. ff. de O. J. penes Reges,*

dehinc penes Consules, mox post L. Valeriam latam, penes populum solum; novissime penes Principes hoc jus fuisse, nec unquam jure magistratus competuisse, sed iis tantum, quibus id nominatim dedit vel lex, vel SCtum, vel Princeps, certum est. *l. 1. pr. § 1. ff. de offic. ej. cui mand. l. 6. pr. ff. de offic. procons.* Penes Dictatores quoque uti summa absolutè potestas, ita merum imperium fuit, *d. l. 2. §. populo deinde 18. ff. de O. I.* Cæterum sub libera Republicâ imperium illud vel ipse populus exercebat jure suo, vel aliis exercendum in causis singulis committebat. Hinc Quæstoribus parricidii merum imperium fuisse, insinuat *d. l. 2. §. 23.* donec sensim reciperetur, ut perpetuæ quæstiones constituerentur, i. e. prætores ordinarii crearentur, qui de causis criminalibus cognoscerent & sententiam ferrent. Sub Augustis merum imperium, & quidem plenissimum, habuerunt Præfecti prætorio. *l. 1. §. 4. ff. de legat. 3. l. un. ff. de præf. prætor.* Fuit & merum imperium Romæ Præfecto urbi. *l. 1. pr. §. 3. §. 4. & §. 10. ff. de offic. præfect. urb. l. 7. l. ult. C. ad L. Fab. de plag.*

Prætoribus quoque urbanis idem imperium arrogat Joh. Vaudus *1. var. quæst. 10.* cujus ratiunculâs proposuisse, pro refutatione habet Vir doctus. Et contraria sententia, etiam communi scholæ probata, fundatur *l. 7. d. t. de offic. præf. urb. l. 1. §. fin. & l. seq. ff. de susp. tut.*

Præfecto vigilum merum imperium simpliciter denegat Ant. Faber, per *l. un. C. de offic. præf. vigil. l. 3. §. 1. ff. eod.* Valde imprudenter! Distinguendi erant gradus meri imperii. Supremum gradum hic præfectus non habuit, sed inferiorem, ut patet ex *d. l. 3. & l. ult.*

ult. ff. de offic. præfect. vigil. quæ fustibus & flagellis in
 crimina animadvertendi potestatem ipsi tribuunt. Et
 imò in servos fures etiam jus gladii ei asseritur *l. pen.*
ff. de condict. caus. dat.

Præsides provinciarum merum imperium ha-
 buisse, apparet ex *l. illicitas 6. §. qui universas 8. ff. de*
offic. præsid. Idem tamen eisdem negare videntur *l. 2.*
C. de Reçtor. provinc. l. 4. C. de locat. l. un. C. ne sin. juß.
princ. lic. cert. jud. confisc. Dissidium haut difficile com-
 positû. Universarum provinciarum præsidēs habue-
 runt merum imperium, *d. l. 6. ff. de offic. præf.* majorem-
 que omnibus post principem in provinciis potestatem,
l. 4. eod. Singularum verò provinciarum præsidēs non
 æquè. *d. l. 2. d. l. 4. C. de locat. d. l. un.* Habuerunt & Pro-
 consules merum imperium. *l. solent. 6. ff. de offic. procons.*

An autem Magistratibus istis provincialibus o-
 mnes partes meri imperii fuerint tributæ, ac proinde
 etiam jus deportandi, non immeritò dubites. Cum
 enim gladii potestas ipsis arrogetur *d. l. illicitas. d. l. so-*
lent. 6. consequens esse videtur, etiam hoc eos jus ha-
 buisse: quin & *l. 6. §. ult. ff. de pæn. indicare* videtur, po-
 testatem deportandi habuisse: quod tamen variis juris
 textibus negatur. *l. 2. §. 1. ff. d. t. de pæn. l. 6. §. 1. ff. de in-*
terd. & relegat. l. 1. §. 3. ff. legat. 3. ubi unanimiter tradi-
 tur, jus deportandi in insulam non esse datum præsi-
 dibus provinciarum: datum epistolâ D. Severi Impe-
 ratoris nominatim ac specialiter præfecto urbis. Unde
 nec proconsulibus illud competiisse colligitur. Resp.
 Præsides ac proconsules non habuisse jus deportandi,
 satis evincunt textus proximè adducti. Nec move-
 mur argumentatione & lege, suprâ in contrarium
 allatis. Non lege: quod hæc enumerat pœnas,

sed quas irrogandi jus habeat præses, sequentes decidunt. Non argumentatione: quod illa in iis, quæ à lege specialiter deferuntur, non admittitur. At qui merum imperium lege, vel SCo, vel constitutione principis specialiter defertur. Ergo nihil amplius ex hoc imperio sibi quis assumere potest, quam legibus specialiter ei datum est. *l. 1. §. qui mandatam 1. ff. de offic. ej. cui mand.* Præsidibus provinciarum datum est jus gladii, jus damnandi in metallum, jus relegandi in insulam: *d. l. illicitas §. qui universas. l. 7. §. 1. ff. de interd. & relegat.* deportandi in insulam jus nulla lege datum est. *l. 6. §. 1. eod.* quod ut singulare, & in locum veteris aquæ & ignis interdictionis, quæ in liberâ Republicâ à populo tantum decernebatur, surrogatum, princeps sibi reservavit, nec cuivis permisit, ut notant Dd.

Etiam Magistratibus municipalibus, i. e. Duumviris merum imperium fuisse, contendit Alciatus *in tit. C. de privileg. eor. qui in sacr. pal. milit.* Non recte! Modicam castigationem, eamque in servos tantum hi magistratus habuerunt *l. 12. ff. de jurisd. l. 15. §. unde queritur; ff. de injur.* merum imperium non habuerunt. Vocat tamen Alciatus ad partes Livium, qui *lib. 1.* Duumviros judicasse refert, ut Tergeminus Horatius quod sororem interfecisset, infelici arbori recte suspenderetur. Verum nihil præsidii habet in historia Livii. Quis enim non videt, Auctorem loqui non de Duumviris municipiorum, sed de Duumviris speciali lege ad capitale iudicium exercendum constitutis. Ducit etiam argumentum à fascibus, quos duumviri habuerunt, *l. 53. C. de decur.* ad merum imperium. Male! Fasces non continuo hoc imperium, nec

nec semper jurisdictionem designant, sed ad alias res pertinent: puta, ad ludos gladiatorios. Apulej. *lib. 10.* Nam etiam non magistratus, sed privati homines lictoribus ad summovendum usi sunt. Cicero *lib. 2. de legib. Dominusque funeris utatur ad censo atque lictoribus.* Hodiè mutatâ formâ magistratuum in civitatibus & municipiis, auctaque eorum potestate, multarum urbium magistratus merum imperium exercent.

Quod Academiae mero imperio gaudeant vi *Authenticæ Habita C. ne fil. pro patr.* multorum tenet opinio. Sed contrariam sententiam verissimam judicamus; cui probandæ ipsa Authentica nobis sufficit argumenta firmissima. Nam I. rationem privilegii Imperator petit à miseratione, ibi, *quis enim eorum non misereatur.* quæ non militat in iis, qui criminibus se polluerunt. II. Nullam Fridericus facit mentionem causarum criminalium: *De lite tantum loquitur & negotio;* quibus verbis plerunque causæ civiles & pecuniariæ propriè indigitantur, *l. litis 36. ff. de V. S. l. 1. §. 1. ff. de testib. & jurisdictionis* meminit, quæ simpliciter posita, civilem jurisdictionem significat. At verò merum imperium speciali indiget lege, nec continetur jurisdictione generaliter & indefinitè concessâ. *l. 1. ff. de offic. ej. cui mand.* III. Fridericus causâ cadere eum vult, qui coram alio iudice, quàm Rectore, aut Episcopo Studiosum convenerit: quod ad *Actionem* tantum, non etiam *Accusationem* pertinere, vel inde manifestum evadit, quod absurdissimum foret, accusatorem ob eam rem à justo conamine exclusum, & hâc ratione delictum studiosi impunitum velle. Verùm cum hodiè Academiae regantur, prout voluntas principum,

cipum, qui eas fundarunt, constituit, videmus & experimur, multas Academias merum imperium in subditos exercere: idque ex speciali principum suorum concessione, ex quâ quædam etiam pleno meri imperii jure utuntur.

An autem solus princeps merum imperium habeat jure proprio, exercitatione nudâ duntaxat ad magistratus, quibus id concessum, pertinente, an verò etiam magistratus proprietate illud habeant & dominio, non usu tantum & exercitio, controversum olim fuit Bononiæ inter Azonem & Lotharium, præstantissimos ævi sui JCtos. Prius contendebat hic: posterius ille. Sponsione equi factâ, sculna honesti certaminis, Henricus V. Imperator litem dedit secundum Lotharium. Quam Principis sententiam Dd. communiter improbarunt, ex eo, quod ipsum jus meri imperii magistratibus attribui passim legatur. Unde illud instar proverbii obtinuit: Dixerat hic (Azo) *equum*: sustulit alter (Lotharius) *equum*. Contra tamen Alciatus 2. *paradox.* 6. ex rei veritate controversiam ab Imperatore decisam statuit. Sed non simpliciter illud decretum Imperatoris esse vel probandum, vel damnandum, existimo. Proinde dico, secundum usum & rationem Juris Civilis Romanorum, soli Principi merum suo jure competiisse imperium, magistratibus autem ex concessione nudum duntaxat ejus juris usum, dominio apud Principem remanente. Hinc nec aliis mandari ab iis, quibus exercitium obtigerat, potuit; quod licuisset, si proprio id eis competiisset jure arg. *l. 5. ff. de jurisd.* Secundum nostra verò tempora jam inde à Carolo Magno considerata, ubi collationes & investituræ provinciarum Imperii Romano-Germanici

manici patrimoniales factæ, & Principes Imperii jurisdictionem & Regalia habent & exercent *αὐτοκρατορίας*, adeò ut in terris suis Imperatorem repræsentent potius, quam simplices magistratus, etiam penes alios, quam Imperatorem imperium illud jure proprio residere. Atque sic temporum distinctione dissonantiæ querela dissolvitur, & tota optimè dirimitur controversia. Nec quicquam officit dictis, quod de jure gladii magistratibus concessio in libris juris nostri legitur. Id enim ad exercitium tantum & administrationem, quæ in facto consistit, pertinet, *l. 1. ff. de offic. ej. cui mand.* quæ executionem sive executionem tantum magistratibus tribuit. Unde sæpius executores & administratores nuncupantur *Nov. 6. c. 2.*

Nunc pleniùs illud caput evolvamus, quod paulo antè attigimus; An exercitio meri imperii, lege, vel SCro, vel constitutione principis delata, ad alium transferri & mandari possit? Et est certissima juris nostri regula: neminem posse gladii potestatem sibi datam, vel alterius coercionis ad alium transferre, *l. nemo potest 70. ff. de R. I.* nec mandata jurisdictione merum imperium, quod lege datur, transire, *l. 1. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand.* Excipitur tamen casus absentiae justæ & necessariæ, quo imperium hocce mandari potest. *d. l. 1. princ.* Exceptio non caret scrupulo. Dubitari enim potest, an quod de absentia dicitur, id ad casum infirmitatis porrigendum. Non pauci Interpretum ob identitatem rationis affirmant; sed invitâ Jurisprudentiâ. *d. l. 1. verb. non aliter.* Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias *l. 14. ff. de legib.*

C

Ex

Ex eadem juris ratione etiam communem scho-
lam errare puto, quod dictam exceptionem genera-
liter in criminalibus judiciis locum habere, conten-
dit. Cum enim Papinianus in *d. l. 1.* ostendat, ea quæ
meri imperij sunt, non posse delegari, hoc argumen-
to, quod nominatim sit cautum L. Julia de vi, ut qui
ejus criminis coercionem habeat, possit eam si pe-
regrè proficiscatur, alteri demandare, non debet
hoc, quod specialiter in casu violentiæ L. Juliã con-
cessum est, de qualibet meri imperii exercitio-
ne concedi. Neque verendum, ne hac ratione effe-
ceris, nec regulam, quæ meri imperii causas manda-
ri vetat, *d. l. 1.* ad alia crimina pertinere, ut Virum in-
signem commentatum video: quin potius dicendum,
concessionem ex aliquâ causa contra regulam in uno
casu nominatim factam, confirmare eam in casibus
reliquis.

Secundum Canones meri imperii causas indistin-
ctè mandari posse, vulgo putatur. Sed pressius inspi-
cienti singulos textus, qui varii à variis, eam opinio-
nem propugnantibus, adducuntur, apparebit, nul-
lum prorsus tibicinem inde fabrefieri posse, cui fir-
miter innitantur. Unde pro negativa rectè stat Alcia-
tus *ad c. quod sedem 10. X. de offic. jud. ord.* Covarruv.
3. *var. resol. 20.* quorum scrinia non compilo, cum
responsiones eorum ad loca Juris Canonici, & argu-
menta pro communi opinione adducta, penes ipsos
videre liceat.

Sunt qui moribus saltem hodiernis merum im-
perium delegabile esse censent, hoc fundamento,
quod non amplius ex speciali privilegio detur, sed
jure

jure magistratus competat, habeaturque pars ordinaria jurisdictionis, ut unà cum jurisdictione transeat. Verum de veritate hujus fundamenti non immeritò dubites, cum nullum ejus vel in veteri seculo & jure, vel in novo vestigium, neque solida ratio ab ullo auctore afferatur. Nec enim persuaderi mihi potest, hoc jus ferri (ut vocatur apud Lucanum *lib. 5.*) eò competere jure magistratus, quòd statim ex ipsà creatione id magistratus accipiant, sine speciali concessione: Inprimis cum jam olim tempore Syllæ Dictatoris, quia ordinarios & perpetuos prætores quæstionibus criminalibus præfecit, *l. necessarium 2. §. 32. ff. de O. I.* hoc ipso quod creabantur, honorem juris gladii (ut appellatur apud Lampridium in Alexand.) habebant, nec tamen habebant jure magistratus: & ævo veterum Jctorum non speciali aliqua lege, sed sub nomine magistratus imperium illud concedebatur, & tamen ab iis, quæ jure magistratus competunt, ut & mandari possint, & mandata jurisdictione transeant, statuebatur omninò diversum. *l. 1. ult. ff. de offic. ej. cui. mand. l. 6. pr. ff. de offic. procons. l. nemo 70. ff. de R. I.* Et quæso quid refert, utrum cum jure gladii successorem magistratui sufficiat Princeps, an simpliciter, omiſsa juris gladii datione, quia tacitè datum censetur ex prima speciali constitutione de imperio magistratus latâ? Ut proinde dici non possit de mero imperio, quod jure magistratus competat & mandari possit.

Uno tamen intuitû solùm defendas, merum imperium jure magistratus competere, videlicet quatenus ad curam principis magistratum creatio pertinet:

l. an. ff. de L. Jul. amb. nam tunc magistratum ab illo accipiendo etiam merum imperium accipere videntur; sed nunquam eo sensu phrasi ista utuntur Juris nostri auctores; qui jure magistratus aliquid competere dicunt cuiusdam, quod ad exercitium jurisdictionis Civilis pertinet, eique more majorum atque officio magistratus est annexum, ut mandari possit & mandata generali jurisdictione transferatur.

Quantum ad Principes, Duces, Marchiones, Comites Imperii nostri, illi quidem non ipsi criminalia tractant, sed publici iudicii executionem committunt suis Prætoribus, Satrapis, Locum tenentibus; verum inde non nisi ineptè inferas, merum imperium mandari hodiè posse. Etenim principes isti superioritatem territorialem, die *Lands Fürstliche oder Lands hohe Obrigkeit* à Cæsare acquisitam habent, eamque non ad ejus mandatum, sed proprio jure exercent, adeò ut & gratiæ Dei suum Principatum & Superioritatem acceptam ferant, hunc in suis rescriptis & edictis titulum usurpantes: *Wir von Gottes Gnaden*. Unde in terris suis Imperatori & Regibus comparati Regalibus gaudent, & in his jure magistratum in civilibus & criminalibus constituendorum: quos adeò constituendo non magis merum imperium mandare dicuntur, quam Princeps Romanus olim dicebatur id mandare, cum Præsidem creabat.

Sed hinc ab eo ad excutiendum caput arduum & & difficultatis plenum, de quo Bartolus in *l. 3. ff. de jurisd.* ait, se non cogitare posse, quid dicendum sit. Est autem hoc: An etiam præscriptione merum imperium possit acquiri? Pro determinatione rei satis con-

TROVER-

troverſæ, ante omnia removendæ hinc ſunt perſonæ privatae, quippe quæ jurisdictionem ſibi arrogantes læſæ majeſtatis crimen committunt, *l. 3. in fin. ff. ad L. Jul. majeſtat.* Deinde diſtinctione opus inter magiſtratus ſimplices, & eos, qui ſimul ſunt domini terrarum, qui in ſuis territoriis jus perpetuum & transmiſſibile, quod vulgo jurisdictio patrimonialis vocatur, habent. Illi jurisdictione per longum tempus utendo, hoc quidem acquirunt, ut latiùs jus dicant, *l. diverſos §. C. de diverſ. offic.* verum id augmentum non perſonæ, ſed officio cedit. Hi verò demum hinc ſibi præſcriptione quærere poſſunt; idque non tantum contra parem & inferiorem, tempore ordinario, cum non ſit ratio, quæ majus tempus requirat, ſed etiam contra principem ſupremum, non tamen, niſi tempore, cujus initii non extat memoria in contrarium. *c. ſuper quibusdam §. præterea. X. de V. S.* quæ tanti temporis præſcriptio non remanet in nudis terminis præſcriptionis, ſed vim conſtituti, ſeu privilegii atque conſeſſionis ſpecialis obtinet; adeo ut ad eam neque titulus, neque ſcientia principis ſit neceſſaria. *d. c. ſuper quibusdam. l. hoc jure 3. §. ductus aqua 4. ff. de aq. quot. & ſtiv.* Vid. Joann. Franciſc. Balb. *de præſcript. part. 5. princip. part. 2. quaſt. 3.* Et ſecundum hæc ultimâ quoque voluntate, & inter vivos contractibus, aliisq; modis merum imperium poterit acquiri, ſive cum territorio, ſive abſque eo.

Atque hæc hæc haſtenus de imperio mero.

Tranſeamus nunc ad illud imperii genus, quod in argumento de jurisdictione mixtum juris noſtri auctores vocant. Eſt autem id nominis huic imperio indi-

rum, quia non uti imperium, quod merum iisdem auctoribus nuncupatur, est purum à jurisdictione, sed jurisdictioni cohæret, *l. 1. in fin. ff. de offic. ej. cui mand.* seu quia (ut licet locutione non adeo accuratâ, eodem tamen sensu habet, *l. 3. ff. de jurisd.*) ei jurisdictio inest. Possset videri hæc ratio appellationis non satis tuta, eò quod mero quoque imperio inest jurisdictio, nec tamen appelletur mixtum. Verùm aliter mero, aliter mixto imperio inest jurisdictio. Mero imperio inest ceu genus suæ speciei, quod non facit rem mixtam, mixto verò, quatenus id jurisdictioni simplici cohæret & subservit, *d. l. 1. l. fin. §. 1. d. t. de offic. ej. cui mand. l. 2. ff. de jurisd.* Nimirum mixtum imperium originem debet contumaciæ improborum hominum, sententiis & decretis jus dicentium in causis civilibus sponte & ultrò non parentium. Cum enim criminalium causarum ratio præter sententiam etiam coercionem & coactionem necessariò exigat, propterea quod ex istis causis condemnati sponte sua sententiæ judicis non pareant, civiles verò causæ sola sententiâ possint terminari, quod in his ultrò ei satisfieri soleat: sed tamen hîc quoque sæpe inveniuntur contumaces, nec obedientes sententiæ judicis, non potuit aliter evenire, quin portio aliqua quasi de imperio, quod ad causas criminales pertinet, decerneretur & adjiceretur jurisdictioni tuendæ & explicandæ, quæ aliàs nulla esset & elusoria. *d. l. ult. ff. de offic. ej. cui mand.*

Atque his terminis positis in modum præviæ inspectionis, ut præfari solet Theophilus noster, Græcus Institutionum Paraphrastes, rectè etiam defenditur,
mi-

mixtum imperium & jurisdictionem non esse unum & idem. Res enim quæ inest, cohæret, subservit, & cui illa inest, cohæret, subservit, disparatas & distinctas esse oportet. At verò jurisdictio inest mixto imperio, *l. 3. ff. de jurisd.* & hoc illi cohæret, *d. l. 1. in fin. de offic. ej. cui mand. subservit. l. 2. ff. de jurisd.* Et hæc clarè à se invicem distinguuntur *l. 6. §. 2. verb. neque imperij, neque jurisdictionis, ff. de tutel.* Equidem si personam respiciamus ejus, cui competit jurisdictio, imperium mixtum ab eâ separatum non est, sed indissolubili vinculo ei conjunctum. Atque hoc intuitû haud absurdè dici potest, quod mixti est imperij, idem esse jurisdictionis, i. e. pertinere ad potestatem jus dicentis. Nullus enim merum imperium exercet, nisi qui habet jurisdictionem. Verum inde non fit, ut nihil possit attribui imperio mixto, quin possit & debeat attribui idem jurisdictioni, & è converso, nihil jurisdictioni, quod non & imperio. Etenim si ei, quod vi jurisdictionis statutum est, condemnatus parere nolit, hoc demum imperio coercetur, auctoritasque jurisdictionis defenditur & explicatur: Sin verò sponte pareat, subsistit mixtum imperium in nudâ potentiâ & actu primo. Ut proinde non quoties jurisdictio, quæ tota consistit in cognitione & sententia, toties & mixtum imperium, quod ad tuendam illam & exequendam necessitate ita suadente, comparatum est, exerceatur: & contra, non quoties mixtum imperium, toties & jurisdictio.

Hinc jam rectè mixtum illud imperium describas verbis Scipionis Gentilis, quæ habet *lib. 1. de jurisd. c. 3. in fin.* ubi ait, *mixtum imperium esse potestatem,*

rem, quæ jurisdictioni coheret, ejus tuenda & exequenda
causâ.

Hoc cognito, unde nomen & originem traxerit mixtum imperium, & quomodo definiatur, dispiciendum nunc est, quibus in rebus imperium illud consistat. Doctores communiter mixto huic imperio attribuunt jus dandi bonorum possessionem, in possessionem mittendi, jubendi caveri prætoriam stipulatione, in integrum restituendi, modicè coercendi, multam dicendi, pignus capiendi & similia. Hos per omnia sequi intutum est. Quid igitur? Ego terribissimos juris magistros secutus, potestatem modicè coercendi, multam dicendi, pignus capiendi, & id genus alia mixto relinquens imperio, cætera enumerata eidem demo, jurisdictioni verò vindico. Id ut facerem, me jussit ipsum nomen mixti imperij, ejusque constituendi origo. Jusserunt jura paulò antè adducta. Et quod mireris, plerique eorum, qui transversum ducti, jus dandi bonorum possessionem, in possessionem mittendi & reliquos actus adscribunt imperio, fomentum sententiæ nostræ conciliant, dum mixtum imperium tanquam consequens jurisdictionis eique cohærens ponunt in coercitione & executione. In quo numero sunt Henric. Suerin. *repet. lect. jur. c. 6.* Duaren. *comm. ad tit. ff. de jurisd. c. 7.* Donell. *17. comm. 6.* Scipio Gentil. *d. cap. 3.* Quo constituto, & hos necesse est suismet se telis jugulare, & nostræ sententiæ palmam tribui. Quid enim, an dare bonorum possessionem, in possessionem mittere, jubere caveri, in integrum restituere ullam coercitionis habent rationem? An hæc negotia jurisdictioni co-

hære-

hære, aut cum quo mixta dici ullâ ratione possunt? Absurdum sit, dicere, quatenus cognitio aliqua præcedit dationem bonorum possessionis, in integrum restitutionem & similia, hic esse cohærentiam, quæ res istas mixti faciat imperij, cum nulla sit sententia sine præcedente causæ cognitione: Quis autem unquam sustinuit affirmare, sententiæ dictionem ad ea pertinere, quæ sunt mixti imperii? Eadem audaciâ etiam pedaneis iudicibus, nudam duntaxat notionem, i. e. cognoscendi, iudicandique, non etiam exequendi potestatem habentibus, asseres partem mixti imperii, quod tamen totum iurisdictioni individuo nexu copulatum est, nihilq; habet commune cum simplici notione, quæ est iudicum pedaneorum propria. *l. ait prætor s. l. à divo 15. ff. de re iudic.* Collectis igitur omnibus, quæ diximus, firmiter concludamus, cum Prætor dat alicui bonorum possessionem, sive illa sit Edictalis, sive Decretalis, cum in possessionem mittit, cum caveri jubet, cum in integrum restituit, cum vi iurisdictionis suæ hæc facere, non hujus, de quo loquimur, imperii: quo tum demum utetur, si is cui decreta bonorum possessio, in possessionem missio, ex solo decreto jus suum consequi non possit. vid. *l. 3. ff. ne vis fiat ei qui in poss. miss.*

Nec mihi dicat aliquis, dationem bonorum possessionis & in integrum restitutionem iurisdictioni adscribi non posse, quod his actibus emendetur Jus Civile, & stricto jure exclusis succurratur. Nam licet jus civile emendet Prætor, dum liberos emancipatos, v. g. & Cognatos, quos Jus Civile ad successionem non vocat, ad bonorum possessionem admit-

D

tit,

tit, & in integrum restituyendo, rescindat id, quod Jure Civili subsistit; nihilo tamen magis propterea negotia illa imperio propriè dicto vindicari possunt, quàm possunt eidem vindicari Edicta, quæ ex jurisdictione prætoris esse, constat. Sanè prætor in integrum restituente, vel dante bonorum possessionem, non repugnabo, si hos actus eatenus imperii esse contendas, quatenus hîc prætor utitur jurisdictione non à Jure Civili acceptâ, sed jurisdictione à se jure magistratus ampliata. quo sensu etiam Edicta omnia, supplendi, corrigendi Juris Civilis gratiâ à prætoribus proposita, l. 7. §. ult. ff. de justit. & jur. imperii esse, haud absurdè dicuntur.

Sed quod ad dationem bonorum possessionis atinet, occurritur sententiæ nostræ ex l. 3. ff. de jurisd. quæ in danda bonorum possessione diserte imperium mixtum reponit. Verum obex iste haut difficilis sublatû, si vel ἀναδραλώσει Goveanâ, dictam legem augeamus ad hunc modum: *Quod in danda bonorum possessione consistit, jurisdictio est. Jurisdictio est etiam j. d. l. vel,* si minùs à vulgatâ lectione recedere velimus, admotâ spongiâ Fabrianâ, pro, *quod,* reponamus, *quæ,* hoc modo: *cui etiam jurisdictio inest, quæ in danda b. p. c.* Sanè quidem in corrigendis & mutandis legum capitibus sub autoritate juris scientiæ, perniciosissimè sæpè erratum est. Sed tamen negari non potest, sæpè manifestam rationem exigere textuum in mendo latentium emendationes. Et mihi planè religio fuisset, hîc adhibere emendatrices manus, nisi illas efflagitasset orationis contextus, & expediti juris autoritas. Cum enim Ulpianus, autor d. l. 3. in fine ejusdem

dem

dem dicat, jurisdictionem esse etiam iudicis dandi licentiam, conjunctio, *etiam*, prius ab eodem allatum fuisse exemplum jurisdictionis, non imperii, aperte demonstrat. Et hæc interpretatio ex iis, quæ dictante Themide supra differuimus, confirmatur.

Quantum ad jus mittendi in possessionem, jubendi caveri, in integrum restituendi, è diametro nobis adversari putatur locus Vlpiani in *l. 4. ff. d. t. de jurisd.* & Pauli in *l. ea quæ 26. pr. junct. §. 1. ff. ad municipal.* Expendamus verba Jctorum. Quid igitur ait Vlpianus in *d. l. 4?* Jubere caveri prætoriam stipulatione, in possessionem mittere, imperij magis esse, quàm jurisdictionis. Quid Paulus in *d. l. ea quæ 26?* Ea quæ magis imperij sunt, quàm jurisdictionis, magistratus municipales facere non posse. Magistratibus municipalibus non permitti in integrum restituere, &c. Quare ajunt, *magis imperij, quàm jurisdictionis?* Non aliam proculdubio ob causam, quàm ut ne quis putet, enumerata in textibus negotia ita esse imperij, ut nullo modo sint jurisdictionis; quin potius credat, esse quidem hæc jurisdictionis, sed ejus, quæ magis in imperando, quam jure dicundo posita sit. Nempe dantur quasi gradus jurisdictionis: alius humilior, alius excelsior & nobilior: Hic ad Prætoris, Consulis & aliorum majorum magistratuum potestatem pertinet, & imperii nomine passim à nostris designatur, *l. 8. l. ult. ff. de offic. procons. l. 3. ff. de offic. ej. cui mand. l. 2. ff. de adopt. l. pen. ff. de just. & jur.* Iste minorum magistratuum, qui sunt sine potestate & imperio, proprius. Magistratus

ergo municipales ea quæ jurisdictionis sunt splendidi-
dioris, magisque imperiosæ, quàm juridicæ, facere
non possunt. *d. l. ea qua* 26.

De tutoris datione confligitur, utrum sit mixti
imperii. Sed cum Ulpianus in *l. tuto* 6. §. *tutoris* 2.
ff. de tutel. disertè scribat, neque imperii esse, neque
jurisdictionis, sed ei soli competere, cui nominatim
hoc dedit vel lex, vel SCtum, vel princeps, videtur mi-
hi nullus hîc dimicationi relictus locus. Itaque tu-
toris datio non imperii, adeoque nec mixti potestate
continetur, sed ex speciali concessione legis, vel SCti,
vel constitutionis principis competit; estque jurisdic-
tionis, non ordinariæ, quæ jure magistratus compe-
tit, *d. l. tuto* 6. sed legitimæ, quam lex specialiter
concedit. *l. 1. ff. de jurisd. l. 3. §. sed etsi quidem* 5. *ff. ju-
dicat. solv. l. 3. ff. de postul.* Ab hoc jure dandi tuto-
ris separata est tutoris cogendi potestas, quâ tutores
nolentes subire tutelam injunctam, extra ordinem
captis pignoribus coercentur, *l. 1. pr. ff. de administr. &
peric. tut. §. 3. Instit. de Attil. tut.* Hæc mixti est imperii,
l. ult. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand. est jurisd.

Controvertitur etiam, an judicem dare, sit mixti
imperii. Alij id mixti imperii esse, contendunt, per
l. 12. §. 1. ibi, propter vim imperij, ff. de judic. Alii jurisdic-
tionis & imperii mixti conjunctim esse, statuunt.
Sed verius est, esse jurisdictionis simplicis & ordina-
riæ, *l. 3. ff. de jurisd.* remotumque à mixto imperio,
quod in coercitione & executione consistit: Atqui
nulla in judicis datione vertitur coercitio: nulla in-
tervenit executio. Nihil turbat *d. l. 12. §. 1.* Nam per
vim imperij ibi loci non denotatur mixtum imperium,
sed

sed dignitas & auctoritas, quæ in jurisdictione majoris magistratus relucet. Quo in significato nomen imperii alibi quoque usurpatur, velut in *d. l. 8. & ult. ff. de offic. procons. d. l. 3. ff. de offic. ej. §. 1. Instit. de adopt. d. l. pen. ff. de justit. & jur.*

Sunt qui inter causas mixti imperii reponunt etiam sequestrationem rei litigiosæ, delationem juramenti in litem, habere reum pro confesso, qui respondere ad interrogata, vel jurare de calumnia contumaciter recusat, *l. 11. §. 4. ff. de interrog. in jur. fac. l. 2. §. sin autem reus 7. C. de jurejur. propt. calumn. dand. & si quæ sunt similia.* Verùm cum hæc nudæ notio- nis expediendæ causâ fiant, officio judicis cujusvis, etiam pedanei, *l. 7. §. ult. qui satisd. cog. l. 4. §. deferre ff. de in lit. jur.* neque propria & vera hîc coercitio; sed quæ eò omnis spectat ac dirigitur, ut contumax condemnetur, merito nec in his ullam mixti imperii particulam agnoscimus.

Competit mixtum imperium iis, penes quos est jurisdictio, ut quæ sine illo explicari non potest, *l. ult. §. 1. ff. de offic. ej. l. 2. ff. de jurisd.* Atque hæc assertio in Magistratibus majoribus nullam habet dubitationem. Num verò illa æquè trahenda ad minores & municipales, non est usquequaque expeditum. Et licet Jus Civile hos usque adeò depressos & abjectos habuerit, ut nihil eorum, quæ mixti sunt imperii, jurisdictioni eorum annexum voluerit; attamen jurisdictio eorum non prorsus destituta fuit imperio, sed quantum ex hoc illi tuendæ & explicandæ satis fuit, à lege municipali habuerunt, ne lusoria & inanes illorum redderentur sententiæ. Hinc pro potestate ex
lege

lege ipsis concessâ, captis pignoribus exequi judicatum potuerunt. *l. 29. §. magistratus 7. ff. ad L. Aquil. Moribus hodiernis magistratus municipales pro imperio sui magistratus, quod habent, omnes partes mixti imperii exercere videas.*

Ad extremum juvat cognoscere, an causæ mixti imperii possint mandari. Et posse, dubitare nos non finit *d. l. ult. §. 1. ff. de offic. ej.* Cum enim mandatâ jurisdictione, mandatum etiam intelligatur imperium, quod non est merum, *d. l. ult.* Imperium autem solum in duas abeat partes, in Merum videl. & Mixtum, *l. 3. ff. de jurisd.* imperium non merum, quod nominat Jctus, omnimodò mixtum sit necesse est: ac proinde mixtum imperium mandari potest. Nec refert, cui nam illud mandetur, privatisne, an magistratui, aliive ordinariam jurisdictionem habenti. Atque hæc ita Jure Romano & consuetudine illius Imperii. Mores nostros intuenti, apparebit, non facilè imperium vel jurisdictionem mandari privato, sed in casum absentia, vel gravis impedimenti, uni ex Adessoribus, vel iudicibus. Rectè! cum ad dignitatem & auctoritatem judiciorum pertineat, ne privati homines jurisdictione aut imperio utantur.

F I N I S.



290

~~10~~

10



UNIVERSITÄTS-
UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG

Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3
003 745 031




f

TA → OL

nur 5 bisher verknüpft

WOM



G. 32. num. 4. C.C.S.

SUS ACADEMICO-FORENSIS,

De
PRO & MIXTO
IMPERIO,

1665, 6.

Quem
RAESIDE SOLO DEO,

Scitû ac Permissû

FICI ET NOBILISSIMI JCTO-
ORDINIS IN ILLUSTRARI AR-
ENTINENSIVM UNIVER-

SITATE,

PRO LICENTIA

in Utroque Jure Honores ritè con-
sequendi,

SOLENNI

placida eruditorum disquisitioni
subjicit



ANNES HOLTHUSIUS,
Auricâ Frisius Orientalis.

e 2. Octob. A. O. R. M. DC. LXV.

ARGENTORATI.
JOHANNIS WELPERI.

1a
10

